

PTISANA ANTICOLICA LAXATIVA.

R. Foliorum Sennæ mundatæ, . . . unciam unam.
 Seminis Anisi, . . . } ana unciam semis.
 Tartari solubilis, . . . }
 Mannæ electæ, uncias quatuor.
 Seri lactis Caprini depurati, seu distillati, . .
 libras quatuor.

Omnia simul injiciantur in vase fictili vitreato, & super ignem lentum ponantur quousque leviter ebulliant, & Manna dissolvatur, dein ab igne separa, ac semifrigidè coletur.

In doloribus colicis, hac Ptisana præsertim utimur.

Dosis ab unciiis quatuor ad uncias sex.

PTISANA LAXATIVA.

R. Mannæ electæ, uncias duas.
 Foliorum Sennæ mundatæ, . . . unciam semis.
 Salis nostratis Cathartici, . . . drachmas duas.
 Seri Lactis Caprini distillati, . . . libram unam.

Fiat omnium Ptisana ex arte, ut supra dictum est.

Suaviter per alvum expurgat humores.

Dosis ad uncias sex.

CAPUT VII.

DE APOCEMATIBUS.

A Pocemata sunt decocta, seu liquida Medicamenta, viribus medicamentosis plurium simplicium, intervenienti recta coctione summè imprægnata.

In Apocematibus faciendis omnia, in capite de Decoctis, dicta observari debent.

APOCEMA ANTI-VENEREUM SOLUTIVUM.

R. Sarsaparillæ, uncias duas.
 Radicis Chinæ,
 Rasuræ Ligni Guajaci, } ana unciam unam.
 Corticis ejusdem, }

Omnia incisa, & contusa injiciantur in

Aquæ fontanæ tepidæ, . . . libris quatuordecim.

In vase fictili vitreato per viginti quatuor horas digerantur, dein vase clauso, igne lento decoquantur per duas horas, addendo in fine

Summitatum Chamæpityos, } ana unciam unam &
 Foliorum Sennæ mundatæ, . . . semis.

Hermodystolorum, } ana unciam unam.
 Agarici, }

Cinnamomi, drachmas duas,

Iterum percoquantur unica ebullitione, & decoctum, sive Apocema ab igne removeatur, coletur, & exprimitur.

In omnibus doloribus Rheumaticis, à lue venerea ortis plurimum confert.

Dosis ab unciis tribus ad uncias quinque.

Notandum, quòd tam Apocema, quàm Decoctum, ab aliquibus, saccharo, vel syrupis idoneis, juxta Medici mentem, dulcorantur.

CAPUT VIII.

DE EMULSIONIBUS.

EMulsionones sunt Medicamenta liquida, saporis grati, lactei coloris ex seminibus, nucleisque lactescentibus, mediante liquore idoneo facta.